

Zibaldone 4.: Statuto dei Cappellani di Treviso (c. 89. - 96.)

4.1 - Statuto 1406. dei Cappellani (c. 89. - 95.)

Statuta Congregationis Capellanorum Civitatis Tarv:nae

p. ipsam edita sunt haec¹.

(*quarto fascicolo - carta 89.*)

Prohemium.

Petrus Miseratione Divina Basilicae duodecim Apostolorum S. R. E. Praesbyter Cardinalis, ac in Provincijs Aquilejen.s, Graden.s, Mediolanen.s, et Januen.s Ap.licae Sedis Legatus, Dilectis in Xp.o Filijs Primicerio, et toti Congregationi Rectorum, et Capellanorum, Clericorumq; Singularum Eccl.iarum Parrochialium Tarv:nae, et Suburbiorum ejusdem Civitatis, Salutem, et sinceram in D.no Charitatem.

Exigit indultum Nobis Legationis Officium, ut in ijs maximae sollicitudinis studium occupemus, quae ad fidelium animarum salutem, divini Cultus augmentum, et Sacrae Religionis Eccl.iae laudem, et honorem redundare conspiciamus, eaq; quantum cum Deo possumus, opportunis favorib.s prosequamur.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Vestra petitio continebat; Quod vos, nomine Congregationis praed:tae, vario invicem praecedente colloquio, tandemq; deliberatione capta, considerantesq; ad laudem Omnipotentis Dei, et Beatiss:mae, ac Gloriosiss:mae ejus Genitricis Mariae, salutem animarum, et honestatem Congregationis Vestrae, cedit infrascriptorum confectio, et stabilitio Statutorum, ipsa statuta utpote salubria sanxistis, et juram:to firmastis, et proinde Nobis pro parte V.ra exstitit humilitèr supplicatum, ut Statuta ipsa ad firmiorem, et inviolabilem constantiam confirmare dignaremur:

Nos igitur ex praemissis hu.moi supplicationib.s inclinati, volentes eadem statuta, tanquam juri consona, et salubriter, atq; laudabiliter ordinata, quantum cum Deo possumus opportunis favorib.s communire; tenore p.ntium Statuta, et Ordinationes hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta, quorum omnium tenor de verbo ad verbum inferius annotatur, auth.e, qua fungimur, confirmamus, decernentes eadem serie praemissa statuta, ordinationes, et contenta in eisdem, p. omnes, et singulos, ad quos spectat, et spectabit in posterum sub poenis, et censuris in eisdem contentis, deberi inviolabiliter observari.

Tenor autem Statutorum praedictorum sequitur, et est talis..

Cupientes, ut nostrae Congregationis Capellanorum fratres observent, et astringantur ea quae sunt, et tendunt ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, et suae Sanctiss:mae Virginis Mariae, et quae sunt honoris, et debita Congregationis praedictae, et quae tendunt ad salutem, et honestatem Fratrum praedictorum, de communi consensu Fratrum praedictorum, infrascripta Statuta duximus componenda, quae pro Legib.s a dictis Fratrib.s volumus observari, et trasgressores et contrafacientes puniri volumus, ac ipsa observantes praemia consequi, secundum quod in eis inferius . . .

(*quarto fascicolo - carta 89. tergo*)

statuetur; non prejudicando in aliquo jurisdictioni, et honorib.s D.ni E.pi Tarv:ni².

R.ca. Quod p.imo die Lunae cujuslibet Mensis, Primicerius Congregationis celebret, vel celebrari faciat Missam Trinitatis. **I.**

. . .

¹ (*la nota è in alto, in margine sinistro*) Anno 1406. edita (uti etiam inscribuntur in Volumine pro Causa inter Capellanos, et Capitulum agitata A. 1714. c. 43.) ex notula Rub.a 30. infra subiecta.

² (*in margine sinistro, a lato*) Sine praeiudicio jurisdictionis, et honoris D. E.pi Tarvisini.

Primo quidem, Quia decet animas prius, postea linguas fieri eruditas, Statuimus, quod in primo die Lunae cujuslibet Mensis D.nus Primicerius, et omnes Clerici Capellani residentes, cum coctis paritèr conveniant in locum, quem communitèr ordinabunt, Sanctae Trinitatis Missam solemnitèr, et devotè celebraturi, et aliam Missam pro defunctis.³ Celebraturus autem Missam pro defunctis, si non celebraverit, vel celebrare non fecerit, poenam quinque soldorum incurrat. His verò completis de communi animarum salute, seu de ipsius Congregationis negotio tractabunt: in quo quidem tractatu, quid communitèr, vel a majori parte fuerit deliberatum, ab omnib.s observetur, et Secretum teneatur, sub poena viginti soldorum, quos denarios (si clarè notum fuerit) pandens talem secretum, solvat usque ad octo dies sub poena dupli, et si statim non solverit Sindico dictae Congregationis, continuè separetur a Congregatione ipso jure, et pro separato habeatur, donec dictam poenam viginti soldorum persolverit cum duplo dictae poenae, et dictam Missam Sanctae Trinitatis Primicerius celebrare, vel celebrari facere teneatur.

R.ca: Quod Fratres Congregationis intersint Missae Trinitatis:
Et Officiales incipiant introitum. **II.**

Item quod quilibet Sacerdos, et confrater dictae Congregationis ad Missam praedictam venire teneatur, dum cantatur primus Kyrie Eleison, vel ante, et stare usque ad finem, sub poena trium soldorum, nisi fuerit infirmitate detentus. Officiales autem ire teneantur ad incipiendum introitum dictae Missae, et stare usque ad finem, sub poena quinque soldorum, nisi graventur infirmitate.

R.ca: Quod confratres Congregationis vadant ad festa principalia omnium vocabulorum confratrum suorum, in primis Vesperis, et Missam, quam Primicerius cantet, vel Proprius Rector, seu aliquis ex Confratribus, sub poena, un infrà. **III.**

Item, quod omnes Fratres Clerici sub poena trium soldorum pro quolibet, et qualibet vice, vadant ad Festa principalia omnium vocabulorum Confratrum suorum cum coctis⁴ in Vigilijs Vesperorum ante incohesionem secundi psalmi, et in festo ad Majorem missam, ante, vel dum cantatur primus Kyrie Eleison, et stare usque ad finem: Et Primicerius celebret Majorem Missam, si invitatus fuerit a proprio . . . Sacer-

(*quarto fascicolo - carta 90.*)

Sacerdote, nisi justo excusetur impedim:to: Officiales teneantur ire ad praedicta festa in principio Vesperorum, scilicet ad Deus in adjutorium meum intende, et in principio Missae, scilicet ad introitum, sub poena quinque soldorum pro quolibet, et qualibet vice, nisi causa infirmitatis excusetur, ut supra.

Si autem dictam Missam Primicerius celebrare nequiverit, tunc proprius Sacerdos dictam Missam celebret, aut unum Sacerdotem de Capellis, quem voluerit, faciat celebrare, et nullum alium, qui non sit de Congregatione, sub poena decem soldorum. Et quod nullum discedat ab Officijs dictae Congregationis absq; licentia D.ni Primicerij, vel ejus Vicarij, sub poena quinque soldorum, nisi causa ministrandi Eccl.iaca Sacram.ta, vel mortuos sepelliendi in sua Parrochia.

R.ca: Primiceriatu vacante, quomodo, et quis eligatur in Primicerium. **IV.**

Item quod nullus de coetero, vacante Primiceriatu morte, vel resignatione, . . .

³ (*a lato, in margine sinistro*) Cum Cottis. In libello Cap.li nomine edito contra Capellanos in causa 1714. c. 15. huic cap.lo haec subditur clausula: "salvo omni honore, ac reverentia D. Episcopi, et Capituli Tarvisini etc." scilicet ex Statutis concinnatis An. 1340.

⁴ (*come sopra*) de Capucijs Statuta silent: V. Cap. 1. item Cap. 12. 13. 33.

vel alio quocumq; modo⁵, eligatur in Primicerium nostrae Congregationis, nisi fuerit Sacerdos, et Clericus Saecularis aetatis 25: annorum ad minus, et de gremio Congregationis, et eligatur talis, qui sit de legitimo Matrimonio procreatus, qui ad regimen dictae Congregationis, et fratrum, in temporalib.s, et spiritualib.s sit idoneus, et ejus electionem infrà Mensem postquam fuerit celebrata, electus praesentare teneatur D.no E.po Tarv:no, vel Decano, et Cap. Tarv:no, Sede Vacante, et confirmationem ab iisdem recipiat⁶; aliàs cadat a jure suo, quod sibi foret acquisitum ex electione praedicta.

R.ca: De Inventario per Primicerium faciendo. **V.**

Item, quod Primic:rius infrà tres Menses a suae Confirmationis tempore, de omnib.s bonis mobilib.s, et immobilib.s dictae Congregationis facere inventarium teneatur suis sumptib.s pro dimidia, et sumptib.s Congregationis pro alia dimidia.

R.ca: Quomodo locandae sint possessiones Congregationis, et a quibus. **VI.**

Item, quod possessiones, et bona ad pias causas dictae Congregationis relictas, et de coetero reliquendas, Massarius, sive Syndicus dictae Congregationis, una cum Primicerio dictae Congregationis, non amicabilè, nec propinquis, ad tempus, sed prout utilius videbitur, fideliter affictabunt pro affictatione, vel renovatione nihil exigendo. Qui verò quantumcumq; parvum receperit, si illud Congregationi non resignaveit, prius, quod receperit, resignato, in decem libris dictae Congregationi persolvendis paenitùs condemnetur: affictatio autem usque ad tempus, . . .

(- carta 90. tergo)

suam habeat firmitatem, dummodo colonus ad horam, et fidelitè faciat quod promisit. –

R.ca: De libro Congregationis tenendo, et confratrib. reddendo, et contrafacientium poena. **VII.**

Item, quod unusquisque Sacerdos librum Congregationis per unam hebdomadam teneat, orationes pro fratrib.s vivis, et defunctis fidelitè celebrando, nihilominus quilibet frater, si non est Sacerdos, vel saltem Diaconus, p. suam hebdomadam celebrare faciat alium Sacerdotem. Hebdomadarius autem in fine suae hebdomadae, praesentet, vel praesentari faciat praedictum librum fratri, qui succedere debet in hebdomada: qui vero contrafecerit, cadat in poenam decem soldorum: et ipse hebdomadarius ad Missam Congregationis, quando celebrabitur, antequam dicta Missa incipiatur, portare, vel mittere teneatur dictum librum, sub poena quinque soldorum. - -

R.ca: De obedientia Primic:rio, vel Congregationis Nuntio praestanda. **VIII.**

Item, quod si praeceptum fuerit fratrib.s p. Nuntium Primicerij, vel p. Nuntium Congregationis, quod ipsi vadant ad locum aliquem, tractaturi in negotio aliquo dictae Congregationis. Et si ipsi fratres, vel eorum aliquis negligens fuerit eundi, nisi justo excusetur impedim:to, decem soldos persolvat dictae Congregationi usque ad octo dies a die condemnationis factae, sub poena dupli, prout continetur in primo Statuto, nisi fuerit, vel oppressi fuerint aliqua infirmitate.

R.ca: De silentio a Primicerio, vel ejus Vic:rio, commisso in Congregat:ne . . .

⁵ (a lato, in margine sinistro) Primicerius haud annualis erat

⁶ (come sopra) Episcopus, et Sede Vacante Decanus et Capitulum debent confirmare Primicerium Congregationis aliàs electio est nullius roboris.

observando sub poena etc. **IX.**

Item, quod licitum sit Primic:rio, vel ejus Vic:rio in officijs Congregationis, et in Congregatione, cum fuerit expediens, praecipere fratrib.s, et cuilibet ipsorum, fieri silentium, sub poena quinque soldorum nullus de Fratrib.s in Congregatuione loqui praesumat, nisi priùs a Primic:rio, vel ejus Vic:rio licentia fuerit habita, et nullum fratrem loquentem interrumpat, et quoties contra haec quis fecerit, toties duos soldos persolvat.

R.ca: De Visitando, substentando, et sepelliendo Conf.res Congregationis. **X.**

Item, quod infirmantem fratrem Clericum, fratres alij visitabunt, et ea, quae animae ipsius sunt salubria, sollicite procurabunt, si verò fuerit tali infirmitate depressus, quod de suo substentari nequiverit, de bonis Congregationis, et fratrum, et facta collecta inter eos omnimode substentetur, quousque convaluerit procuretur; si verò moriatur, et de suo sepelli non poterit, ad expensas dictae . . . Con-

(*quinto fascicolo - carta 91.*)

Congregationis decentè sepelliatur.

R.ca: De notificando Confratrib.s mortem Confratris, et ejus Cadaver sepelliendi modo p. Primicerium mandando. **XI.**

Item pro morte Fratris Clerici Primicerius, Vel ejus Vic:rius, quam citiùs potest, fratrib.s faciat denunciari, et ipsos ad defunctum fratrem faciat convenire p. suum nuntium, vel p. nuntium dictae Congregationis sub poena decem soldorum pro quolibet. Primic:rius autem Corpus defuncti non faciat apparari, nisi medietas, vel major pars fratrum ibi fuerit congregata: et cuicumque Primic:rius, vel ejus Vic:rius corpus praed:tum apparari praeceperit, vel portare, inobediens poenam quinque soldorum incurrat.

R.ca: De exequijs p. Fratres Congregationis celebrandis in alicujus Conf.ris mortem. **XII.**

Item, quod pro fratre Sacerdote, aut Clerico defuncto usque ad annum p. Fratres quolibet mense suum tricesimum celebretur in Eccl.ia, apud quam corpus Fratris fuerit sepultum. Ad tricesimum autem omnes fratres venient cum coctis⁷ ante incohationem secundi Psalmi sub poena trium soldorum. Officiales autem venient in principio Vesperorum sub poena quinque soldorum, nulla causa obstante, nisi infirmitatis incommodo, et sequenti die, idest post illum diem in quo fit tricesimum Officiales illius Mensis teneantur in dicta Eccl.ia F.ris sepulti missas celebrare vel celebrari facere sub poena trium soldorum, et sic de mense in mense Officiales celebrent usque ad annum; Et hoc intelligatur tantum in Capellis dictae Congregationis, et non alibi: si verò alibi sepultum fuerit, officium celebretur in loco p. Primicerium ordinato.

R.ca: Quod Confratres faciant officium Gen.le in fine primi anni post mortem Confratris. **XIII.**

Item pro Fratre praedicto defuncto in fine primi anni per alios Fratres, generale Officium, scilicet Vesperi, et Missa devotè celebrentur in Eccl.ia, ut supra dictum est; . . .

⁷ (*al solito, a lato in margine sinistro*) Cum cottis. V. cap. 13.

Et omnes Fratres ad Vesperas cum coctis venire teneantur ante incoationem secundi psalmi, et ad Missam ante, vel dum cantatur primus Kyrie eleison, sub poena trium soldorum pro quolibet, et qualibet vice. Officiales enim in principio Vesperorum venire tenentur sub poena quinque soldorum causa infirmitatis excepta.

R.ca: Quod recipiendus in congregat:ne
non sit religiosus, vel Apostata, sed sit Saecularis, et Diaconus,
et p.mo anno non p.cipiat de redditib.s Congregat:nis,
et habeat animarum curam. **XIV.**

(- carta 91. tergo)

Item, quod nullus in nostra Congregatione recipiatur, vel receptus intelligatur, qui religiosus sit, vel apostata fuerit, et recipiendus de coetero in dicta Congregat:ne sit, et esse debeat Clericus Saecularis, Diaconus autem, et Canonice investitus, et intitulatus ad continuam residentiam in beneficio sacerdotali in aliqua de Capellis Congregat:nis praed:tae⁸. Et si contrafactum fuerit in aliquo dictorum casuum, ipso jure pro non facto habeatur: et receptus in Congregatione praed:ta de redditib.s dictae Congregat:nis nihil p.cipiat in p.mo anno. Et quod nullus Sacerdos, vel Diaconus possit esse de Congregat:ne nostrae, qui non habeat Parrochiam, et animarum curam.

R.ca: Quod Confrater habens mortuum in sua Parrochia,
et invitans octo, vel plures de Confratrib.s, teneatur etiam
invitare Primicerium, et omnes sint de Congregatione etc. **XV.**

Item si aliquis fratrum Clericorum habuerit mortuum in Parrochia sua, et ad Funus illud invitaverit octo, vel plures de n.ris Fratrib.s, semper teneatur invitare Primic:rium, et omnes invitandi intelligantur esse de Congregatione, sub poena quinque soldorum. Primic:rius Verò, vel alius loco sui Missam celebrare teneatur, si invitatus fuerit a supradicto, qui habuerit funus, hora debita sub poena decem soldorum. Primic:rius semper habeat Missam majorem in exequijs mortuorum in plena Congregat:ne, et hoc non intelligatur si D.nus E.pus, vel Cap.lum Tarv:num praesentes fuerint⁹. Et Primic:rius habeat quatuor soldos, ultra partem suam.

R.ca: Quod Massarius recipiat pecuniam pro exequijs mortuorum,
eamque distribuat. Et quod nullus discedat ab officio. **XVI.**

Item quod nullus Frater nostrae Congregat:nis ad exequias mortuorum vocatus, p. se solutionem recipiat in pecunia, sed Massarius communiter recipiat pro omnib.s: Qui verò contrafecerit poenam quinque soldorum incurrat; Si vero Massarius non adierit, ille recipiet, cui commissum fuerit p. Primicerium. Qui autem vocatus fuerit ad levationem corporis defuncti si non venerit, partem oblationum non habeat, nisi fuerit infirmitate detentus: et non intelligatur infirmus, si visus fuerit extra Parrochiam illo die. Massarius autem infra tres dies, denarios, quos recipit, fideliter distribuat inter Fratres sub poena quinque soldorum, maximè si fuerit ab aliquo Fratre requisitus. Nullus frater discedat ab Officio absq; licentia Primic:rij, vel ejus Vicarij: Qui vero recesserit non habita licentia, partem de illa sibi contingentem amittat, et in Congregationem perveniat.

. . .

⁸ (*a lato, in margine sinistro*) scilicet ut nullus extra numerum eorum, quibus Parochialis alicuius Ecclesia de numero Congregat. cura spectat, recipiatur. v. g. ultra XII. ceterum nec an. 1406. nec postea Plebanos S. Jo: alia sacramenta praeter Baptismum scimus administrasse. S. Agnetis vere et Congreg. de Somasca Curati quod essent religiosi a Congregat. curebantur.

⁹ (*come sopra*) Primicerius habeat Misam majorem in exequijs etc. nisi D. E.pus vel Cap.lum Tarv. praesentes fuerint.

V. Concordatum An. 1671. 31. Martii inter Capitulum et Congregat. Stanpa (?).

R.ca: De Modo in Processionib.s, et exequijs observando: **XVII.** – . . . Item

(*quinto fascicolo - carta 92.*)

Item, Quod Fratres in Processionib.s ordinatis, et etiam in exequijs Mortuorum, vadant bini p. copulas, secundum consuetudinem hactenus observatam, Videlicet, quod primo in Congregatione recepti honorentur, scilicet duo primi recepti, sint in copula ante Primic:rium, et sic de singulis, usque ad ultimos receptos, qui sunt juxtà Crucem: Et Officiales secundum copulas, et illi duo unius copulae, qui fuerint officiales in uno Mense (quando contigerit casus) dicat Evangelium unus, et alius dicat Epistolam, et sic etiam stent in Eccl.ijs, ut primo receptus unius copulae stet a parte Primicerij, et alius ab alia parte.

Et Officiales, qui p. se, vel p. alium non officiauerint, quinque soldos persolvant, et nihilominus defectus eorum p. alios suppleatur; videlicet, quod ille, qui cantaverit Evangelium habeat quatuor soldos, Qui vero cantaverit Epistolam habeat tres soldos de primis distributionib.s Funeralib.s; Quos denarios Massarius Congregationis solvat de praesenti; Et Officiales procurent de alijs Officiatorib.s, loco sui, ipsa die, vel ante ipsam diem, qua erit expediens officiare, infirmitate postposita, vel a Civitate Tarvisij si longe ivissent, sub poena superiùs nominata, et in p.nti statuto posita:

R.ca: De Generali Anniversario faciendo, elemosyna eroganda,
ac Statutis perlegendis. **XVIII.**

Item omnium fidelium animabus nostrae Congregationis subvenire volentes, Statuimus annis singulis, infra octavam B:ti Martini, quo die commodius contigerit, faciendum Anniversarium generale, Vesperi, et Missae p. Capellas seriatim a cunctis solemnitè celebrentur.

Negligentes vero poenam decem soldorum incurrant; et eo die de nostris elemosynis erogandis, largiendo elemosynam Pauperibus copiosam, pro qua quidem usque ad summam librarum vigintiquinque parvorum, et plus, et minus ad voluntatem D.ni Primic:rij, et majoris partis dictae Congregationis, absque pane, et vino, Massario dictae Congregationis sit licitum dispensare. Epulantib.s eo die similiter Primic:rio cum suis Fratribus, ab aliquo, cui pridie p. Primic:rium commissum fuerit, omnia Congregationis Statuta solemniter in modo lectionis, cunctis silentib.s perlegantur. Frater autem, qui non interfuerit, de convivio aliquid habere non possit, nisi infirmitate esset depressus.

R.ca: Quod Primic:rius pacificet Confratres;
et quod inter se loquelam non retineant. **XIX.**

Item, quod si hostis antiquus, et Sator Zizaniorum, qui fidelium Charitatem semper nititur vulnerare, inter aliquos ex Congregationis Fratrib.s Clericis, discordias seminaverit, vel lites, ut sibi ad invicem non loquantur, Primicerius . . .

(- *carta 92. tergo*)

(postquam ad aures ejus pervenerit) teneatur ex offitio suo, illos pro posse pacificare; cujus praecib.s si non acquieverint, moneat eos ad tempus, ut sibi ad invicem loquantur, sub poena decem soldorum: Quod si diabolo suadente, uterque, vel eorum alter justis monitionib.s parere noluerint, separentur parere nolentes prorsus a Congregatione tandiù, quantiù inter eos duraverit inimicitia, poena praedicta prius semper exacta.

. . .

R.ca: De poena injuriantium,
et contumeliosa verba Confratrib.s dicentium. **XX.**

Item, quod si aliquis fratrum alicui de alijs Fratribus dictae Congregationis, in Congregatione, vel in officijs, vel etiam eundo, vel redeundo a praedictis, injuriam fecerit, vel injuriosa verba dixerit, seu in quocumq; loco, et hoc probetur p. fratres Congregationis, vel p. alios cum juramento, decem soldos parvorum Congregationi persolvat, et plus ad arbitrium Primicerij, et fratrum, vel majoris partis, prout gravis illata fuerit injuria:

Statutas autem poenas Primicerius ab offendentib.s exigat diligenter, monendo delinquentem, primo sub poena viginti soldorum, ut solvat usque ad octo dies, statim post praeceptum sibi factum; si verò noluerit, moneat eum tertio peremptorio, sub poena aliorum viginti soldorum. Si vero dictas poenas non solverit, sed contumax extiterit, statim sit separatus a consortio dictae Congregationis totaliter, usque ad satisfactionem condignam:

Si autem opus fuerit, alij Fratres juvent Primicerium. Si autem Primicerius noluerit, vel negligens fuerit, ipse de proprio marsupio solvat dictas poenas. Quod si noluerit, sit et ipse ab Officio suo, et a consortio dictae Congregationis totaliter separatus, usque ad satisfactionem condignam.

R.ca: De aliquo non invitando ad funera
nisi sit in Congregatione. **XXI.**

Item firmiter observetur, quod nullus Frater nostrae Congregationis aliquem separatam a nostra Congregatione ad funus ejus Parrochiae, seu ad exequias mortuorum invitet, seu faciat invitari, sub poena quinque soldorum, et hoc pro qualibet vice. Massarius autem pro separato antedicto oblationem aliquam non recipiat. Et si contigerit aliquid de redditib.s, seu dimissorijs dividi inter Fratres, similiter et de illo portionem non habeat aliquam, nec recipiat, sed perdat, et in Congregationem p.veniat.

R.ca: De Massario eligendo, qui redditus exigat Congregationis,
et de ijs rationem reddat sub poena etc. **XXII.**

Item, quod in Calendis Mensis Maij, novus eligatur Massarius, qui non seguitè redditus, et affictus exigat cum effectu, redditus domorum in vigilia S:ti Leonardi . . . de

(quinto fascicolo – carta 93.)

de Mense Augusti, vel in vigilia S:ti Bartholomei ejusdem Mensis, aliarum vero possessionum redditus in vigilia S:ti Andraeae fideliter dividat inter Fratres:

Qui Massarius de ijs omnib.s, quae ad ejus manus p.veniunt, coram Primicerio, et quatuor, vel sex fratrib.s de antiquiorib.s Congregationis, suae administrationis rationem assignet; et in fine cujuslibet anni, et reliqua praestet infra mensem suae administrationis depositae, quod si facere contempserit, ipso facto sit a gremio Congregationis totaliter alienus, et tandiu sit, et esse debeat extra Congregationem, quandiu ipsam rationem assignare, et reliqua praestare Primicerio, et fratrib.s neglexerit, animo indurito: et (si meruerit protervitas ejus), nihilominus ipsam rationem assignare, et reddere, et reliqua praestare per juris remedia compellatur, et si usque ad sententiam pervenerit, et passus fuerit eam fieri, sine restitutionis spe sit extra Congregationem, et omni dictae Congregationis commodo careat, atque fructu.

R.ca: De Offitio Massariae acceptando,
et portitoris Paramentorum Officio. **XXIII.**

. . .

Item, quod Syndicus, sive Massarius dictae Congregationis ad redditus recipiendos deputatus, p. biennium acceptare dictum Officium teneatur, et usque ad dictum terminum, et plus si videbitur Primic:rio, et fratrib.s, possit confirmari etiam ad alium biennium, si ipso Syndico placuerit: Qui fideliter peragere teneatur, sub poena viginti quinque librarum; quam poenam ipso facto incurrat, si non renuntiaverit, vel non compleverit, et praedictas viginti quinque libras parvorum solvere teneatur infra quindecim dies Primic:rio Congregat:nis sub poena quarti, postquam renuntiaverit, et a dicti Officij prosecutione cessaverit. Et dictus Massarius habet omni anno pro suo labore libras octo parvorum, et honorantias possessionum dictae Congregat:nis:

Alius vero Massarius, videlicet portitor paramentorum, librorum, et Candelotorum, qui p. annum durat, succedat de Eccl.ia in Eccl.iam secundum consuetudines hactenus observatas, ipsius officium acceptet sub poena decem librarum, simili modo persolvenda, ut in p.anti Statuto continetur: et pro suo labore habeat in fine sui anni, libras decem parvorum; Et iste portitor paramentorum, teneatur apportare secundum praecepta D.ni Primic:rij, et si non fecerit, cadat in poenam decem soldorum toties, quoties contrafecerit, videlicet contra praecepta D.ni Primicerij.

R.ca: Quod Portitor paramentorum
fratres absentes notet etc. **XXIV.**

Item quod dictus Massarius, videlicet Portitor paramentorum, fratres absentes, in officijs negligentes, scribat qui non interfuerint, vocati ad ipsam Con-

(- carta 93. tergo.)

-gregationem: alias si non venerint, vel interfuerint officijs, et alijs singulis casib.s praedictis, quibus interesse debeant; ut superius est Statutum, et ordinatum, et temporib.s, quib.s distribui inter fratres debent redditus, et proventus dictae Congregationis, de ipsorum portionib.s fiat satisfactio dictae Congregationi propter ipsorum contumacias, vel negligentias, vel contemptus. Et si dictus Massarius negligens fuerit in praecipiendo, quod incurrat poenam illorum, quib.s debebat praecipere, et praecipiat die praecedenti omnia officia sub poena praedicta.

R.ca: De non compromittendo in aliquem,
qui non sit de Congregat:ne circa electionem. **XXV.**

Item, quod si contigerit procedi ad electionem p. modum compromissi, quod non possit compromitti in aliquem, qui non sit de nostra Congregatione, et Sacerdos saecularis, et in aliqua ipsius Congregationis Eccl.ia Rector constitutus: et compromissum aliter factum non valeat, et ipso jure sit nullum, et idem ipsum statuimus de alijs Officialib.s p. ipsam Congregationem ordinandis, si ad eorum ordinationem procedi contigerit p. viam compromissi.

R.ca: De poena portitoris paramentorum,
et non portantis. **XXVI.**

Item quod Massarius deputatus ad param:ta, et ad Candelotos, si paramenta, et alia necessaria non portaverit, vel portari non fecerit, prout erit opportunum, hora debita ad festa, vel ad alia, in quibus ipsa param:ta requiruntur, poenam decem soldorum incurrat:

Si verò candelotos, et libros non portaverit, aut non portari fecerit ad anniversaria, et ad alia, in quibus requiruntur libri, et candeloti, hora debita, poenam quinque soldorum incurrat, ipso facto.

R.ca: Quod ille, qui suae Eccl.iae renuntiavit, et aliam acceptavit,
. . . non sit de Congregat:ne, nisi eam iterum intret. **XXVII.**

Item, si aliquis Sacerdos dictae Congregat:nis aliquo modo recesserit a sua Eccl.ia, et ad aliam Eccl.iam transierit, renuntiando suae p.mae Eccl.iae, et aliam acceptando p. mortem Rectoris, vel renuntiationem, aut concambium, seu permutationem, Quod talis acceptans, seu permutans a tempore dictae permutationis, vel acceptationis, non intelligatur esse de Congregat:ne, nisi de novo vellet intrare, et erit novissimus, iuxta Crucem.

R.ca: Quod Volens intrare Congregat:nem,
videat Statuta, eaq;, ac bonas consuetud:nes observare juret. **XXVIII.**

Item quod quilibet Sacerdos volens intrare Congregat:nem, primo videat Statuta . . . dictae

(*quinto fascicolo - carta 94.*)

dictae Congregat:nis p. octo dies: quib.s Statutis p. ipsum examinatis. antequam recipiatur p. Primic:rium, et ejus Fratres, juret, et jurare teneatur ad Sancta Dei Evangelia, corporaliter tactis scripturis, quod omnia Statuta dictae Congregat:nis, et bonas consuetudines, hactenus observatas, toto posse observabit, primo ostendendo investituram suae Eccl.iae Primic:rio, et fratrib.s dictae Congregat:nis¹⁰.

R.ca: De poena Confratrum
Blasphemantium Deum, atq; Matrem. **XXIX.**

Item, quia positi sumus, ut aliorum corrigamus errores, nostros corrigere non pudet. Ideò hac saluberima lege sancimus, Quod si quis de Congregat:ne nostra ad tantam pervenerit temeritatem, quod D.num N.rum Jesum Xp.um, vel ejus Matrem Sanctiss:mam Mariam blasphemaverit, quod pro qualibet vice, ipso facto in poenam incidat librarum duarum parvorum, et privatus sit omni commodo dictae Congregat:nis p. unum mensem: et si ter in tam graviss:mo scelere perseveraverit, tanquam putridum a dicta Congregat:ne intelligatur dejectus, cassus, et ipso jure sit poenitus alienus.

R.ca: De poena Sanctos Blasphemantium. **XXX.**

Item si aliquis in dicta Congregat:ne blasphemaverit aliquem Sanctum, vel Sanctam, pro qualibet vice solidos decem solvere teneatur, et si non solverit usque ad octo dies, intelligatur esse alienus, usque ad satisfactionem condignam.

Datum Venetijs octavo Calendas Martij, Pontificatus SS:mi in Xp.o Patris, et D.ni N.ri D.ni Innocentij, Divina Providentia Papae VII. Anno 2:do, currente anno Domini 1406., Ind:e 14:a, die Jovis 25. Mensis Martij¹¹.

R.ca: De non eundo ad aliquod funus,
nisi secundum infrasc:tam formam. **XXXI.**

Item, cum fragilitas humana quotidie indigeat reformari legib.s, et Statutis, ut in bonis operib.s diu possit durare, hinc est, quod omnes fratres, una cum Primic:rio dictae Congregat:nis, ordinaverunt, et Sacram:to statuerunt, Quod deinceps nullus Capellanus de Capellis dictae Congregat:nis, possit ire ad aliquod funus ubi ascendat numerus ultra sex, nisi esset invitata tota Congregatio, sub poena X:m soldorum pro quolibet, et qualibet vice, tam ex parte invitantis, quam ex parte invitati, tam in Capellis dictae Congregationis, quam in alienis, nisi gratis, et pro Deo accesserint, . . .

¹⁰ (*nota a lato, sul margine sinistro*) Statuta et Consuetudines, quibus ea in praxi explicantur.

¹¹ (*come sopra*) 1406.

Et si aliquis Fratrum praedictorum habuerit mortuum in Parrochia sua, et ad funus illud invitaverit quatuor, vel plures de nostris fratribus, semper invitare teneatur Primic:rium sub poena praed:ta.

R.ca: De modo celebrandi Missas, et Anniversaria Defunctorum. **XXXII**

Devotione congrua, ac debitis orationib.s, animabus fratrum defunctorum subvenire . . .

(- carta 94. tergo)

volentes, ut eorum apud Deum patrocinijs adiuvemur, Statuimus, quod quandocumq; aliquod anniversarium cum Missa celebrabitur, si contigerit celebrari apud Eccl.iam in qua sit Rector de gremio nostrae Congregationis, quod tunc Rector idem celebrare, vel celebrari facere teneatur sub poena decem soldorum, prius reservata voluntate testatoris. Et quoties contra hoc quis fecerit, toties poenam incurrat praedictam, nisi justo excusetur impedim:to.

Si verò in aliqua de Capellis nostrae Congregat:nis, aliquod Anniversarium fieri contigerit, in qua Rector dictae Eccl.iae non sit frater, nec de gremio Congregat:nis, quod tunc Missa celebretur seriatim p. Fratres dictae Congregationi in dicta Eccl.ia, si dicto Rectori placuerit, alioquin alibi celebretur, ut dictum est, prout D.no Primic:rio, et Fratrib.s dictae Congregat:nis videbitur:

Et Massarius, vid:t Portitor Paramentorum praecipiat die praeced:ti fratri celebraturo. Celebraturus autem si non celebraverit, vel celebrari fecerit, poenam decem soldorum incurrat, ut in p.nti continetur Statuto.

R.ca: De eundo ad Missam Trinitatis,
et ad Festa omium vocabulorum Confratrum nostrorum. **XXXIII.**

Quoniam reverentia, ac devotionis sinceritas, obsequia etiam modica, reddunt grata divina officia, ut grata sint Domino, et accepta, Statuimus, quod quilibet Sacerdos n.rae Congregat:nis ad Missam Sanctae Trinitatis, et ad festa principalia omnium vocabulorum Confratrum nostrorum venire teneatur cum cocta horis debitis¹², sub poena decem soldorum, causa infirmitatis excepta.

Quod si in Sacramentorum administratione, vel circa confessiones audiendas, aut in sepelliendo mortuum, seu mortuos in sua Parrochia esset occupatus, ac etiam si a Civitate Trapisij longe ivisset, in praedictis casibus, volumus ipsum a dicta poena esse exceptum, reservata tamen poena in secundo statuto apposita, quod incipit: Item, quod omnes Fratres Clerici sub poena trium soldorum etc.

Et dicta Offitia reverentèr, et devotè, juxta Sanctorum Patrum Statuta, et consuetudines, in Eccl.ijs rationabiliter hactenus observatas, statuimus celebrari.

R.ca: Quod Massarius visitet possessiones Congregat:nis,
et de ejus potestate, et Salario. **XXXIV.**

Succurrere volentes futuris scandalis, ne possessiones nostrae Congregat:nis, incultae, et inhabitatae maneant, Statuimus, quod Massarius, qui pro tempore erit ad fructus recipiendos deputatus, teneatur, et debeat annuatim visitare omnes, et singulas Possessiones n.rae Congregat:nis, tam in Civitate Tarvisij positas, quam extra Civitatem, et loca reparanda specificare, et illa reparare secundum determinationem Congregat:nis, seu reparari facere teneatur: et si contrafecerit, ad arbitrium puniatur Congregat:nis: Debitum quoque, nomine Congregat:nis, vel aliqua . . . denaria

¹² (a lato, in margine sinistro) cum cotta

(*quinto fascicolo - carta 95.*)

denaria, nec aliquod laborerium fabricare, et ultra viginti soldos, propria au:the expendere audeat, nullatenus valeat, fructus, et debita exigere, et alia, quae utilitatis, et honoris nostrae sunt Congregat:nis, secundum praecepta D.ni Primic:rij, vel Congregat:nis facere teneatur, sub poena quinque librarum parvorum, toties Congregat:ni solvendarum quoties contrafecerit.

Volumus autem, quod dictus Massarius, ultra libras octo in vigesimo tertio notatas Statuto, habeat libras decem, et septem in anno, et honorantias possessionum pro suo salario. etc.

R.ca: De obedientia Congreg:ni praestanda. **XXXV.**

Quoniam necessarium est propter perversorum contumaciam leges condi municipales, cum generales aliquando non deserviant, aliquando vero rem in longum, quae celeritatem expetit, abire permittunt. Ideo statuimus, quod quicumq; ingressus, sive nostram ingressus Congregat:nem, si monitus semel, bis, et tertio peremptoriè, non obbedierit deliberationi, aut factae, aut faciendae p. Fratres Congregat:nis, seu maiorem partem ejus, sit p.petuo privatus Congregat:ne, et quolibet ejusdem commodo, absque aliquo paenitus restitutionis beneficio.

R.ca: De eundo inter Conf.res Congregat:nis. **XXXVI.**

Item, quod quilibet in n.ra Congregat:ne receptus, sive in posterum recipiendus, semper teneatur venire inter fratres Congregat:nis, in suo loco, sive Congregatio invitata sit ad funus, sive etiam Cap.lum Eccl.iae Cath.lis Tarv:nae sit invitatum, sive in Processionibus, ubi conveniat Cap.lum, et Congregatio, sive in alijs actibus, ubi processionaliter sit eundum, sub poena contenta in Cap.lo suprascripto ¹³.¹⁴

¹³ (*a lato, in margine sinistro*) Confratres incedant in congregatione etiam in funeribus, ubi sit Capitulum, sub poena privationis perpetuae, trina mon. praem., incurrenda.

Infra A. 1518. revocatum fuit, vid.t ut Can.cus cum Canonicis, Mansionarius cum Mansionarijs etc

v. infra n:o 38. dummodo semper hoc fiat.

V. Mandatum Cap.li An. 1484. 8. Nov.

¹⁴ (*interlinea a fine rubrica*) (Hucusque Ms. antiquum in membranis, apud Burchelatos a pag. 1. ad 22.

= Additiones recentiori manu exaratae in eodem Ms.o =